

16





MEDICATIO DVORVM

VIRORVM,

quorum unus

OPHTHALMIA;

Alter

CATARACTA

LABORAT:

QVAM

Divino adjuvante Numine,

SUB PRÆSIDIO

CLARISSIMI VIRI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ

ac Botanices Professoris Ordinarii,

*Publicè examinandam proponit*

PETRUS WASSENAER Ultrajectinus.

*Ad diem 23. Octobris, horâ 9. matutinâ.*



*Naturâ & Industriâ.*

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ Johannis à Noortdyck, In Academ. Typographi.

ANNO 1647.



*Amplissimo ac Prudentissimo Viro,*

D. GERARDO

WASSENAER, I. V. D.  
& apud Ultrajectinos  
Practico insigni, Patruo  
suo eo, qui cognatum  
decet, honore in æter-  
num profequendo.

*Medicum hoc γόμνασμα*

D. D. S. ac. C.

P. WASSENAER

Φιλίατεϛ.

## MEDICATIO VIRI Ophthalmia laborantis.

## I.

**V**ir triginta annorum, habitu corporis eufarco, jam ab aliquot diebus laborat utriusque oculi magno dolore, & rubore adnatam tunicam occupante. Præterea palpebræ valde tumunt. Adest etiam pruritus & ardor magnus, ac lacrymarum continuus & copiosus ex oculis effluxus. Accessit tandem etiam visionis aliquis defectus, tanquam si fumus oculis objectus accuratam rerum visibilibus perceptionem impediret.

## II.

Afficiuntur in hoc ægro oculi, secundum tunicam adnatam, quod probat ejus rubedo, pruritus & ardor; item secundum tunicam corneam vel forsan etiam secundum humores oculares, ut indicat ille visus defectus. Afficiuntur etiam palpebræ, ut ipsarum docet tumor. Atque etiam carunculæ lacrymales, ut constat ex perpetuo lacrymarum effluxu.

## III.

*Morbis*, qui ipsum molestat, est intemperies sanguinis biliosa ac serosa tunicæ adnatæ oculorum; quæ ruborem, pruritus, ardorem, & lacrymas, ac palpebrarum tumorem, hic excitans, *ophthalmia* appellatur.

## IV.

*Causa antecedens* hujus morbi sunt humores sanguinei & biliosi, in vasis corporis hujus eufarci contenti: pars vero eorum calidior, in oculorum tunicam adnatam & vicinas alias, ac palpebras, propter eorum poros nimis apertos, sese effundens, *continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

## V.

Dum enim humor ille in partes illas sese effundit, quantitate sua facit in illis tumorem, colore rubro rubedinem, acrimonia & calore ardorem, dolorem & priuritus, unde spiritus in cerebro ita determinantur, & pori cerebri tales aperiuntur

C c

tur

tur, per quos meatus vasorum, qui sunt circa carunculas lacrymales, ita referantur, ut serum sanguinis per illos copiose & perpetuo à reliquo sanguine separatum, & ex oculis emanans, perpetuas & copiosas lacrymas ex oculis ægri effundat.

VI.

Dum vero humor hic in tunicam corneam ante pupillam, & in oculi humores aliqua sua parte se effudit, induxit aliquam istius tunicæ & humorum ocularium opacitatem, & hinc talem visus defectum, quo æger, se, tanquam per fumum, objecta visibilia percipere, videtur.

VII.

Morbus hic periculosus est, cum exulterationem oculi, & effusionem humorum ocularium, ac cæcitatem inducere possit.

VIII.

Ideoque tempestive curatio est inchoanda: quæ consistet in causæ antecedentis, cōtinentis, & intemperiei per contraria ablatione.

IX.

Primo itaque educatur sanguis ex brachio per venæsectionem ad uncias octo;

Postridie purgetur talibus pilulis:

℞. pil. cochiar. scrup. j.

scammonij scrup. s.

cum aq. feniculi F. pilulæ N<sup>o</sup> v.

quas deglutiat mane ieiunus.

Nuchæ applicetur tale vesicatorium:

℞. cantharidum pulveris. scrup. j.

fermenti acris dragm. ij.

cum aceto q. s. F. vesicatorium, ad

magnitudinem nummi imperialis, super

linteo extendendum, & posteriori cervici, infra

capillos, applicandum.

Ubi vesicæ excitatæ fuerint, folia brassicæ applicentur, ut ex iis aliquamdiu apertis, serum copiosum educatur.

Applicari etiam poterunt collo cucurbitæ per biduum, eoque tertio die scarificari

oculis adhibeatur tale collyrium:

℞. aq.

℞. aq. plantag. vnc. j.  
 nymphaea, papaveris,  
 rosar. an. vnc. s.

sies albi, tutia preparata an scrup. j.  
 vitrioli albi gr. viij. misce F. Collyrium,  
 de quo gutta una vel altera oculis instil-  
 letur, & petiola eo imbuta oculis noctu,  
 & si necessitas urgeat etiam interdiu,  
 imponantur, eaque, ubi exsiccata fuerint, rursus madefiant.

Temporibus, supra oculos, applicetur utrinque emplastrum  
 contra rupturam, ad defluxionem cohibendam, magnitudine  
 quadrantis daleri imperialis.

Vel ejus loco adhibeatur tale emplastrum.

℞. bol. armeni drag. ij.  
 mastiches drag. s.  
 sanguinis draconis drag. j.  
 pulv. gallar. drag. s.

excipiantur ovi albumine & aceto, ac illinantur  
 linteo, & F. duo emplastra, temporibus supra  
 oculos utrimque applicanda. X.

In aëre versetur temperato. Cibus sit refrigerans & paucus.  
 Potus cerevisia tenuis. Motus vitetur. Somnus sit longior solito.  
 excrementa alvi respondeant quotidie vel natura vel arte. Per-  
 turbationes animi vitentur.

## M E D I C A T I O V I R I

### Cataractâ confirmatâ & incipiente laborantis.

R.

Vir triginta quinque annorum, chymicis operationibus, apud  
 fornaces ardentes, incumbere solitus, post visus defectum

Co 3

in fini.

in sinistro oculo, cum nubeculis ante illum volare visis, & majore obscuritate postea insecuta, passum; & setonem cervici frustra adhibitum; aliaque remedia, quæ humorum ad oculos defluxum inhibent, incassum usurpata; tandem, increffata in oculo pellicula, & albidâ in pupillâ apparente, in cœcitatem istius oculi incidit. Jam verò etiam in dextro oculo similem visus defectum, cum nubeculis, & filamentis ante illum volantibus, observat. Dextro oculo connivente, dilatatur pupilla oculi sinistri, qui excecatus est. II.

Afficiuntur in hoc ægro oculus sinister secundum pupillam, ut ad oculum patet; & dexter oculus secundum humorem aqueum, ut constat ex nubeculis, ante oculum dextrum per visus fallaciâ volare apparentibus. III.

*Morbis*, quo sinister oculus laborat, est obstructio pupillæ, à pellicula albicante in ejus cavitate nata, quæ radios rerum visibilium à sinistri oculi retina excludens, cœcitatemque eo inducens, *cataracta confirmata* dicitur. *Morbis* verò, qui dextrum oculum afficit, est intemperies humoris aquei, crassa, quæ particulas quasdam opacas in eo dispergens & volare faciens, nubecularumq; volitantium imagines in retina & deinde cerebro excitantes, *cataracta incipiens* sive *suffusio* appellatur. IV.

*Causa procatarctica* horum morborum est diutina apud fornaces ardentes mora; qua pori vasorum & membranarum aperti fuerunt, & humores in capite, & præsertim oculis, increffati; utque in vasis eorum existentes, *antecedentem* his morbis præbuerunt causam: Illi vero in aqueum utriusque oculi humorem ex iis effusi, & primum in parvas quasdam obscuras & opacas nubeculas coagulati, & deinde in sinistri oculi pupilla in membranam coacti, *continentem* hujus morbi & symptomatum constituunt causam. V.

A nubeculis enim in aqueo humore natantibus, & ex motu oculi in eo dispersis & volitantibus, excluduntur à retina multi rerum visibilium radii, quo visus imminutio oritur. Pellicula verò



vero alba, quæ pupillæ sinistri oculi est obtensa, & adglutinata, avertit omnes, à retina ejus, rerum visibilibus radios, atque ita integram inducit istius oculi cæcitate.

## VI.

*Periculum* hic est, ne in sinistro oculo non tantum panniculus five pellicula in pupilla sit nata, sed etiã ne humor crystallinus vel vitreus opacitatem contraxerit, atque ita nullã chirurgiã per membranæ ablationẽ hic morbus curari possit. Verum dilatatio pupillæ oculi cæci spẽ sanationis præbet. Et deinde metus est, ne etiã in dextro oculo humores oculares tandẽ opaci evadant, vel pellicula opaca in pupilla tandem nascatur, atque ita cæcitate etiam dextri oculi inducat. VII.

*Curatio* tamen tentanda, quæ consistet in pelliculæ ablatione, nubecularũ discussionem, humorũ ocularium attenuatione, & in-temperiei oculi correctione.

## VIII.

Primò itaque acu, à perito chirurgo, in oculum sinistram prope extremitatem tunicæ adnatæ, adactã, pellicula illa, à pupilla separetur & deprimatur. Ac vulnusculum, cum maxima corporis & oculi quiete, consolidetur.

## VIII.

Eo consolidato, curatio incipientis suffusionis dextri oculi est inchoanda. Ac primo tales pilulæ erunt præscribendæ:

℞. fol. senna unc. s.  
sem feniculi dragm. ij.  
aq. chelidonia, euphrasia, verbena an. q. s.  
Post levem ebullitionem infundantur, per noctem; postea  
Colatura eousque decoquatur, donec in spissam extracti  
formam fuerit redacta. eique adde  
aloes rosate dragm. ij.  
rubarbari opt. dragm. ij. s.  
turbit. dragm. j.  
sem. ruta, feniculi an. dragm. s.  
cubeb. macis an. scrup. j.

*mastiches*



*mastiches scrup. ij.*

*scammonij dragm. s.*

**F.** *massa pilularum; de qua capiat bis terve in septimana dragm. dimidiam, vel scrupulos duos, mane ieiunus.*

**X.**

*Præterea, corpore aliquoties purgato, utatur hac aquâ stillatiâ, cerebrum, nervos, & oculos corroborante, humoresque oculares attenuante: mane cochlear unum quotidie bibendo.*

*Rx. herbarum fœniculi, ruta, euphrasia, verbenæ,*

*chelidoniæ an. m. j.*

*summit. rorismarini, salvia,*

*flor. rosar. an. p. j.*

*baccar. iuniperi dragm. vj.*

*lauri. vnc. s.*

*piperis, garyophyllor. an. dragm. j.*

*cinnamomi vnc. s.*

*ligni aloes dragm. s.*

*sem. fœniculi, dragm. ij.*

*sileris montani dragm. j.*

*ruta dragm. s.*

*Infundantur in vino generoso & distillentur.*

**Adhæc utatur hoc linimento:**

*Rx. fellis carpionum, mellis, succi chelidoniæ an vnc. s.*

*coquantur parum donec inspissentur, iisque adde*

*tuthiæ dragm. j. camphoræ scrup. s.*

*axungia thymali piscis vnc. s.*

**F.** *linimentum, pro palpebris extrinsecus, sub lecti ingressum, ungendis.*

**XI.**

*Versetur in aëre calido. Cibus sit ex carnibus gallinarum, vervecum, & aviculis montanis. Caveat nimis humectantia. Condiatur cibus serpillo, fœniculo, betonica, salvia, majorana, pulegio, cinnamomo. Potus sit cerevisia & vinum mediocrium viriū. Exercitium sit moderatum. Somnus brevior. Alvus respondeat quotidie arte vel natura. Mœstitiam fugiat.*

---


00 A 6396

ULB Halle 3  
002 928 167



*St*





omnia, quae in eis continentur, creasse & etiam  
in corpore conjuncta manet, est lex immutabilis  
quodque manet in eo statu, in quo est, donec  
in generatione nova producat; rectissime sen-  
sentiam rationalem, per immediatam creationem,  
duci volunt.  
is, vel notionibus, vel axiomatis innatis: sed  
ipsi, ad actiones suas peragendas, sufficit.  
nunes notiones, menti insculpta, ex rerum ob-  
riginem ducunt.



MEDICATIO DVORVM  
VIRORV M,

quorum unus

OPHTHALMIA;

Alter

CATARACTA

LABORAT:

QVAM

Divino adjuvante Numine,

SUB PRÆSIDIO

CLARISSIMI VIRI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ

ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè examinandam proponit

PETRUS WASSENAER Ultrajectinus.

Ad diem 23. Octobris, horâ 9. matutinâ.



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ Johannis à Noortdyck, In Academ. Typograph.

ANNO 1647.

